

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica post nativitatem christi

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

*fide*, quando nempe præſepe Chrifti in-  
tuemur,

1. *Corporaliter*, ut in Domini domo ſe-  
dulo convenientes devote perpendamus,  
quam profunde ſe exinaniverit Filius Dei,  
noſtri cauſa, quod præſepi arcto contentus  
fuerit, quem aliàs cæli cælorum non capi-  
unt, 1. Reg. 8. v. 27.

2. *Spiritualiter*. Adhuc hodie enim in  
præſepio verbi & Sacramentorum reclina-  
tur, ibi quæramus, & inveniemus eum,  
juxta promiſſum, Ioh. 14. v. 23.

Eant igitur filii hujus ſæculi, ad domum  
convivii, Eccl. 7. v. 3. aut ambulent in via  
meretricis, Prov. 7. 8. aut in concupiſcentia  
oculorum, carnis & ſuperbia vitæ dele-  
ſcentur, 1. Ioh. 2. v. 16. Nos Bethlehem pro-  
feſturi Filium ofculabimur, quem Deus  
Pater in præſepi nobis poſuit, Pſal. 2. v. 12.

Oſculemur *ſuave os ejus*, ex quo verba  
vitæ ſtillant, Ioh. 6. v. 68. *lucidos oculos*, qui-

bus occultiſſimos angulos inſpicit, Sir. 23.  
v. 27. *aures benevolas*, quibus ſuſpiria & pre-  
ces noſtras exaudit, Pſal. 145. v. 19. *manus  
tenderas*, quibus cælum & terram fecit, Ioh.  
1. v. 3. & hodie tenus omnia portat, Hebr. 1.  
v. 3. *pedes ſanctos*, quibus in anguſtiis nobis  
ſuccurrit, Ioh. 14. v. 18. ſternamus quoque  
ipſi in cordibus noſtris *mollom lectulum, cul-  
citra ſit ſpes*, quæ non confundit, Rom. 5.  
v. 5. *tegumentum amor*, qui neceſſitatibus  
Sanctorum communicat, Rom. 12. v. 13. E-  
ſa. 58. v. 7. Matth. 25. v. 40. *pulvinar fides*,  
quem oculi ejus potiſſimum reſpiciunt,  
Ier. 5. v. 3. ſic divertetur apud nos, & omni-  
bus cæleſtibus Theſauris beabit, ſemitæ eni-  
nim ejus ſtillant pinguedinem, Pſal. 65. v.  
12. quin & aliquando nos aſſumet ſibi, ut  
cum omnibus Angelis & Electis, Gloria in  
Excelsis Deo canamus in æternum. Hoc  
votum noſtrum: Ieſu annue votis!

Amen.



## DOMINICA POST NATIVITA- TEM CHRISTI.

*Evangelium Luc. 2. v. 22. 32.*

### EXORDIUM.

**R** Iſum fecit mihi Deus, dixit olim  
Sara, cum Iſaac Filius ei natus  
eſſet: Iſmaël vero ludificabat  
filium hunc ejus recens natum,  
& promiſſionem Dei Abrahamo factam,  
quod in ſemine ejus benedicendæ ſint om-  
nes Tribus terræ, Gen. 21. v. 6. 9.

Nativitas Iſaacî typus fuit nativitatis  
Chrifti, quæ commode cum hæc compara-  
ri poteſt:

1. *Ratione promiſſionis*. Abraham & uxor  
ejus Sara ambo ſenes provectæque ætatis  
erant, ut naturaliter liberos progignere non  
poſſent, attamen Deus illis filium pro-

mit-

mittebat, qui ex utroque nascendus esset. Id credidit Abraham, Rom. 4. vers. 20.

21.22.

Ita & Christus Servator noster promissus mundi Messias est, de quo Deus Protoplastis jam tum in Paradiso prædixit, qui ex virgine in plenitudine temporis præter naturam nasceretur, Luc. 1. v. 34. 35. hoc miraculum majus est, quam quod Isaac ex matre sene & effæta natus, & tamen utrumque à Deo est, qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, Rom. 4. v. 17. & potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus Eph. 3. v. 20.

2. *Ratione exultationis.* Risum mihi fecit Deus, inquit Sara, & quicumque audierit conridebit mihi, Gen. 21. v. 6.

Ita gaudium ortum est in cælo & in terra, quando Christus natus fuit. Luc. 2. v. 14.

3. *Ratione contradictionis.* Quemadmodum enim derisor Ismaël risum Saræ ludibrio exponebat, despiciens Isaacum & promissionem Dei ei factam: Ita & ante & post nativitatem Christi duo hominum genera sese obtulerunt, qui fideli & infideli risu hunc gloriæ Dominum exceperunt, & partim tum anima, tum corpore ei se manciperunt, partim vero in eo offenderunt & in Barathrû infernalem præcipitari sunt, sicut audimus, senē Simeonē de eo vaticinatū in prælecta Pericope, quando ille parentibus ejus benedixit, & in specie ad Mariam ait: Ecce, positus hic est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Hæc particula est, de insidiis, qua antiquus ille serpens calca-

neo ejus insidiatus est, quia caput ejus contrivit, Gen. 3. v. 15.

Videbimus nos pro instituti ratione

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

JJ.

*Exegesis.*

**C**Um Imperator Augustus, cujus in Evangelio Christi natalitio mentio fit, in mundum hunc natus esset, parens ejus Octavius serius aliquanto curiam accedebat, hoc ipso excusans se, quod uxor ejus filium sibi peperisset, quod moram sibi injecisset. Continuo Publius Nigrinus è positu astrorum genesin ejus delineavit, & Dominum terrarum toti orbi natum esse, pronuntiavit, Suetonio teste.

Quamvis igitur Augustus ad amplissimas dignitates evectus fuerit, attamen toti orbi non imperavit, sed hoc Messia refervatum est, sub Augusto nascituro. Huic enim Pater ejus cælestis gentes hæreditates dedit, & possessionem terminos terræ, Ps. 2. v. 8. ut dominaretur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum, Psal. 72. v. 8. in medio inimicorum, Psal. 110. v. 2. sicut propterea Rex Regum & Dominus Dominantium dicitur, Apoc. 19. v. 16.

Ad hoc prædestinatus fuit, non per astra, sed ab æterno, priusquam astra creata fuerunt, ideo acquiescimus nos in vaticiniis Prophetarum, qui scrutati sunt, in quod vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas, quæ sunt

quæ sunt in Christo passiones, & posteriores glorias, 1. Petr. 1. v. 10. 11.

In prælecto Evangelio Senex Simeon exurgit, qui & ipse spiritu Prophetico præditus fuit, & significat parentibus Christi prædictionem Esaiæ, de lapide offensionis, petra scandali, in eo impletum iri, Esa. 8. v. 14. inquit: Ecce! positus hic est in ruinam, & in resurrectionem multorum Israel, & in signum cui contradicitur, ut pluribus porro audiemus.

Querela erit, si consideretur

1. *Lapidis vivi abusus*, quem Deus tanquam cælestis Architectus, lapidem angularem, probatum, electum, pretiosum posuit, lapis vero offendiculi & petra scandali factus est, ad quem multi offenderunt & adhuc offendunt, non sua culpa, est enim per se pretiosus adjutorii lapis, 1. Sam. 7. v. 12. qui omnium mortalium salutem exoptat, & quantum in se est, procurat: verum inde, quod multi lapidem hunc despiciunt, nec vera fide excipiunt, neque per eum refurgere volunt, 2. Thess. 2. v. 10. 11.

Offendunt igitur ad hunc lapidem

1. *Oculi caliginosi*, qui palpant sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectant, Esa. 59. v. 10.

Hoc inde est, quia tenebras magis diligunt, quam lucem, Joh. 3. v. 19. qui igitur in tenebris ambulat, nescit, quo vadat, Joh. 12. 35. sed facile offendere & in foveam cadere potest, Luc. 6. v. 3. idem illis evenit, qui verbum Dei despiciunt, quod est lucerna pedibus nostris, & lumen semitis nostris, Psal. 119. v. 105. ut in devia aberrant, & in lacum incidunt, in quo non est aqua, Zach.

9. v. 11. ex quo nulla unquam redemptio. Psal. 49. v. 15.

2. *Oculi ambitiosi*, Qui semper plus ultra meditantur, exemplo Nebucadnezaris, Esa. 14. v. 14.

Sicut igitur homines, qui semper suspiciunt, facile titubare & cadere possunt: Ita etiam Deus Spiritus ambitiosos punit, & oculos superbiorum humiliat, Psal. 18. v. 28. ut non modo impingant, sed & plane conterantur ab hoc lapide, ut in Nebucadnezare videre est, Dan. 4. v. 30.

3. *Oculi curiosi*, qui aliena curant, sua negligunt. Ita Saul Samuëlis munus affectabat, dum immolabat, 1. Sam. 15. v. 15. Ablolon Patris Regnum invadebat, Regem se constiturus, 2. Sam. 15. v. 10. Usque adolere volebat incensum super altare Thymiamatis, quod ipsi minus conveniebat, 2. Chron. 26. v. 16. omnibus tribus id male cessit, ut dictis locis videre est. Hinc Siracides, cap. 3. v. 24. 25.

Hac in parte adhuc multi hodiernum peccant, ubi cum Davide dicendum esset: Oculi mei semper ad Dominum, Psal. 25. v. 15. respiciunt cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, verum fontem aquæ vivæ derelinquunt, Jer. 2. v. 13.

Alii omnia ad rationis stateram appendunt, nihil credituri, nisi cum ratione consentiat. Alii in ipsum cælum adscendere, & Dei secreta scrutari satagunt. Hic omnes graviter impingunt, & fidei naufragium faciunt. Beati qui non vident, & credunt, Joh. 20. v. 29.

II. *Contradictionum pelagus.* Hic enim, inquit Simeon, ponitur in signum cui contradicetur.

Multa & varia signa in mundo occurrunt, Nonnulla apparent in cælo & in terrâ in admonitionem nostram, ut beneficio eorum ad frugem redeamus, & cognoscamus, diem ultimum non longè abesse, ut Christus ipse eò nos relegat, Luc. 21. v. 25. Quædam verò Deus idèõ ordinat, ut de gratiâ & veritate ejus certiores reddamur, sicut iridem in nubibus posuit, in signum, quod ulterius mundum diluvio perdere nolit, Gen. 9. v. 13. Ejusmodi signum Gideon quoque dedit, Jud. 6. v. 37. seqq.

Aliâs milites signum suum habent, quod est vexillum, quod sequi coguntur, si semel Sacramento se ad illud obstrinxerint, exemplo sit Urias, 2. Sam. 11. v. 11.

Viatores habent signum suum, quod observent necesse est, nisi à rectò calle aberrare velint, sicut Deus Israelitis olim in columna nubis & ignis prævit, Exod. 13. v. 21.

Sagittarii habent signum sive metam suam, ad quam collineare coguntur, si brabeium assequi velint, sicut olim in Tribu Benjamin septingenti viri fortissimi inventi fuerunt, qui sinistrâ manu pro dexterâ utentes, sic fundis lapides ad certum jece- runt, ut capillum quoque possent percute- re, Jud. 20. v. 16.

Christum si spectemus, ille 1. *Signum divina potentia est.* Citrà enim contro- versiam magnum est pietatis mysterium, Deus manifestatus est in carne, 1. Tim. 3. v. 16. Mirabile nomen est Jesuli recens na- ti, Jud. 13. v. 18. Mirabilis persona, ejus Ver- bum enim caro factum est, quis hoc un-

quam audivit? Joh. 1. v. 14. mirabilis ejus scientia, Psal. 139. v. 6. mirabile ejus Evan- gelium, quod occulta sapientia, Psal. 51. v. 8. & admirabile lumen vocatur, 1. Petr. 2. v. 9. sic & mirabilem habet justitiam, ju- xta quam nos, justos & sanctos reputat, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus, Tit. 3. v. 3. sed ex indebita misericordia & gra- tiâ, ratione plenissimæ propitiationis, quam pro peccatis totius mundi præstitit, 1. Joh. 2. v. 2.

Id Judæis scandalum & Ethnicis stulti- tia est, 1. Cor. 1. v. 23. unde doctrina Chri- stiana secta dicitur, cui ubique contradici- tur, Act. 28. v. 22.

2. *Signum necessariae penitentia.* Hæc enim prima ejus vox erat: Pœnitentiam agite & credite Evangelio, Marc. 1. v. 15. qui igitur nomen Christi nominat, ab omni in- quitate discedat, aliâs Regnum cælorum ingredi nequit, 2. Tim. 2. v. 19.

Id verò Filii hujus seculi non faciunt, sed illudunt peccatum, Prov. 14. v. 9. di- centes cum auditoribus Jeremiæ: Sermo- nem, quem locutus es ad nos, in nomine Domini, non audiemus ex te &c. Jer. 44. v. 16. & seqq.

3. *Signum divina clementia.* Sicut enim Moses exaltavit serpentem in deserto &c. Joh. 3. v. 14. 15.

Hic iterum mundus contradicere amat. Judæi dicunt: quâ ille juvaret nos, qui se- ipsum juvare non potuit? Matth. 27. v. 42. Lucianus ethnicus ille sycophanta Chri- stum suspensum Sophistam vocat. Averro- ès scribit se malle infamem quàm Christianum esse. Hi inimici crucis Christi sunt, quorum finis interitus est, Phil. 3. v. 19. Nec hoc modò: sed & in exilium aguntur

Christiani, & propelluntur de civitate in civitatem, sicut Apostolis id contigit. In primis vero hoc tempore postremo negotiosus est Sathanas, quia scit, quod modicum tempus habet, Apoc. 12. v. 12.

Genuini Christiani minus hoc ipso offendantur: sed potius, quæ de Jesulo recens nato audiunt, piè credant, & in corde sincero conservent. Suo tempore emolumentum sentient, quando semen verbi divini in cordibus eorum radicabitur & fructum feret, Luc. 8. v. 15. juxta illud Esa. 55. v. 10. 11.

III. *Afflictionis gladius.* De quo Simeon B. Mariæ prædicit, quod ejus animam pertransiturus sit. Hoc ipso notat persecutionem Domini, quomodo Judæi ipsum odio, invidentiâ, calumniis persecuturi & tandem in crucem acturi & occisuri sint, id ait Simeon, animam B. Virginis, instar gladii ancipitis vulneraturum esse, propterea ipsam non nimium lætitia efferri debere, nec vaticinia Prophetarum, quibus de hoc puerulo speciosa prædicantur, quomodo Reges terræ & omnes gentes ipsum adoraturi sint, terreno modo, de mundana gloriâ intelligere: non enim de futuras ipsi tribulationes, quin tantis eam mœroribus, & angoribus animi immersum iri, ratione Filii sui, ut gladius quasi animam ejus pertransiturus videatur: sicut & David ait: Tanquam gladius in ossibus meis, Psalm. 42. v. 11.

Hic Maria idea Ecclesiæ est, quæ mater omnium nostrum dicitur, Gal. 4. v. 26. & ab exordio mundi, potissimum post ascensionem Domini, crudelissimas persecutiones ab Imperatoribus Ethnicis, & postea à Nestorianis, Arianis, & Eutychia-

nis, nec non ab Antichristo sustinuit, sanguine Christianorum velut aquâ effuso, Psal. 79. v. 3. hinc de meretrice Babylonica dicitur, quod ebria facta fuerit, de sanguine Martyrum Jesu, Apoc. 17. v. 6. Sicut enim Christus sponsus sanguinum est, Exod. 4. v. 25. ita vult ut Christiani crucem ejus tollant & se sequantur, Matth. 16. v. 24. Esa. 8. v. 18.

Similiter & Johanni magnum signum apparuit, in muliere Sole amictâ, & corona duodecim stellarum in capite ornatâ. Hæc Ecclesia est, quam serpens antiquus usque in desertum persequitur, mittens aquam, tanquam flumen ex ore suo, ut eam faciat trahi à flumine, Apoc. 12. v. 1. 12. Præcipue verò Ecclesiæ ministros in acie stare & cum Jeremia queri oportet: Posuistime, quasi signum ad sagittam, Thren. 3. v. 12. Confer, 1. Cor. 4. v. 9. seqq. Hoc hodiè adhuc omnibus accidit, qui munus suum fideliter obeunt. Non enim est conventio Christo ad Belial, 2. Cor. 6. v. 15.

Sed & hæc consolatio annexa est, quod hoc ipso ex multorum cordibus cogitationes revelentur. Id B. Taulerus eleganter exposuit. Nam ubi crux, inquit, ibi lux: non modò ita, ut vexatio det intellectum, Esa. 28. v. 19. sed & lux oritur in Ecclesiâ, ubi manifestum sit, quis probatus sit, vel minus, 1. Cor. 11. v. 29.

### De Secundo.

**E**gimus de *Querelâ*, sequitur *Medela*, quæ fluit

1. *Ex rivulo benedictionis Ecclesiæ*: quæ hic à Sacerdote Simeone B. Mariæ, ejusque Filiolo

Filiolo impertita est, & adhuc hodie super omnes Christianos finitâ conceione effunditur. Id ita à Deo mandatum est, Num. 6. v. 23.

Ex quo patet, benedictionem apud Israëlitas non nudum sonum fuisse, qui aërem verberarit, sed potius efficax medium, quo Deus beneficia animæ & corporis ipsis exhibuit, hinc Lyra: Sacerdotes benedicebant populo ministerialiter, verba benedictionis proferendo, sed Deus benedicebat effectum benedictionis causando. Hinc legimus Ecclesiam Israeliticam hanc benedictionem non modò debitâ reverentiâ expectasse, Luc. 1. v. 21. sed & corde fideli excepisse, ita ut non absurdè ex Psal. 67. v. ult. colligi possit, quando Sacerdotes benedictionem pronunciarunt, totam multitudinem ex verâ fide respondisse: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus; & metuant eum omnes fines terræ. Totus Actus dilucidè exprimitur, Sir. 59. v. 22. seqq.

Non verò putandum est, ritum hunc Ecclesiam in publico conventu benedicendi, abolitam & antiquatam esse: Neutiquam. Sed potius pars promissionis Dei est, quam Ecclesiæ impertivit, quod gratia & benedictione suâ semper ei præstò futurus sit, vi verborum, Exod. 20. v. 24.

Hæc promissio non desuit, sed continuè durat, sicut D. Paulus, ipsa formalia, quibus Deus, Levit. 26. v. 12. utitur, ad Ecclesiam N. Test. accommodat, inquit: Inhabitabo in illis: & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi populus, 2. Cor. 6. v. 16.

Laudabilis igitur hodiernum mos est, quod cætus Ecclesiæ, finito cultu benedictione hæc afficitur, & dimittitur. Deus enim, quæ de labiis suis procedunt, non irrita faciet, Psal. 89. v. 35. Dona Dei sunt ἀμὲν ἀμὲν ἔστω, Rom. 11. v. 29.

*II. Ex rivulo spiritualis resurrectionis.* In prælecto enim Evangelio, non modò Christum positum in ruinam: sed & in resurrectionem multorum in Israel, asserit. Hoc de illis intelligendum est, qui in peccata prolapsi sunt, hi in lapide angulari electo, quem Deus in Sion posuit, resurgere debent, sustentat enim Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos, Psal. 145. v. 14. Psal. 37. v. 24.

Quotiescunque igitur in delicto aliquo occupamur, maturè resurgamus per pœnitentiam seriam, hinc ipse Deus: Revertente averfatrix Israel &c. Jer. 3. v. 12. 13. Id Christus nobis promeruit, extrâ Christum enim Deus ignis consumens est, Deut. 4. v. 24. sed jam cum Paulo dicere possumus: Justificati fide pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1. Act. 10. v. 43.

*III. Ex rivulo profundissima exinanitionis.* Veluti enim de Isaac dicitur: Crevit puer & ab lactatus est, Gen. 21. v. 8. De Samuele: magnificatus est puer Samuel, 1. Sam. 2. v. 21. de Samsonè: crevitque puer, & benedixit ei Dominus, Jud. 13. vers. 74. Ita Christus Servator noster ab hora Nativitatis non perfectam corporis staturam habuit: sed naturali modò crevit in virum perfectum, Ephes. 4. v. 13. Id nostro bono factum est.

Per

Per se Christus est Deus, qui omnia creavit, Joh. 1. v. 3. Deus super omnia benedictus, Rom. 9. v. 5. est Dominus, quem omnes Angeli & Archangeli adorant, Hebr. 1. v. 6. proprius Dei Filius, Rom. 8. v. 32. & unigenitus, Joh. 1. v. 18. splendor gloriæ, & character substantiæ ejus, Hebr. 1. v. 3. attamen adeo profundè demittit se, ut tanquam alii pueri lacrymetur & ploret, crescat & augeatur, nobisque in omnibus similis fiat, excepto peccato, Hebr. 2. v. 17.

Adamum Deus in ipsa creatione in perfectâ viri statura formavit, Gen. 1. v. 27. idem & hîc facere potuisset. At quo amorem & φιλαυθροπρίαν ejus eò penitus perspiceremus, Messiam nobis in humanissima & amabilissima formâ elegantissimi pueruli, cui nemo non favet, Bethlehemi in præsepio reclinavit.

In terris nihil jucundius neque blandius est, quàm infantulus: licet enim ad iram excitetur, tamen mox idem placari potest, modò amicè compelletur. Sic & nos nisi blanditias à Jesulo recens nato expectemus, non venit ad terrendum, sed potius ad exhilarandum.

Moses terribilis est, pronuncians maledictos omnes, qui non omnia in lege Dei servant, Deut. 27. v. 26. Verùm Servator noster sub specie infantuli suavissimi apparet, ne terrore afficiamur, sed cum fiducia ad cunas accedamus, ipsumq; osculemur, juxta Davidis admonitionem, Psal. 2. v. ult.

Quodsi Jesulo recens nato obviaverimus osculo amoris & obedientiæ: ille vicissim osculabitur nos hic osculo gratiæ, ibi verò osculo gloriæ, quando ad eum pervenimus in cœlestem Hierosolymam,

ubi misericordia & veritas obviabunt sibi; justitia & pax osculabuntur se, in æternum, Psal. 85. v. 11.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quam tribus includemus Regulis, quarum

1. *Magnalia Dei admirare*. De Josepho & Maria subinitium Evangelii dicitur: Et erat pater ejus, & mater ejus mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Hoc ipso Evangelista relegat nos ad præcedentem historiam. Simulac enim puerulum in templum detulerant, ut eum Domino præsentarent: ecce! Simeon venit in Spiritu in templum, auferens infantulum ex manibus Sacerdotis, à quo primogenitus redimendus erat, in ulnas suas, dilucidè affirmans: non esse hîc opus redemptione ulla, sicut ratione aliorum primogenitorum, esse enim hunc ipsum τὸ σωτήριον, sive salutis fontem, quem Deus paraverit ante faciem omnium populorum; lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israel.

Propterea parentes Christi in summam admirationem rapti, hinc occasionem capiebant, omnia repetendi, quæ præcesserant, illique partim ab Angelo ante conceptionem, partim à Zacharia & Elisabethâ, post conceptionem, partim etiam à Pastoribus Bethlehemiticis, & Magis ex Oriente post Nativitatem audierant.

Utrumque inter se conferunt, & quia omnia ad amissim impleri deprehendunt, mirantur sapientiam & veritatem Dei, ita ut omnem intellectum captivent, 2. Cor. 10. v. 5. nec dubitent, quin quæ restent ad-

adhuc, suo tempore certissimè impleturus sit. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4.

Nos & ipsi quoque Magnalia Dei admiremur, quæ olim fecit, adhuc facit, & porro facturum est, vi promissionis suæ, cui firmiter insistamus, certissimè credentes, quod de omnibus verbis bonis, quæ se Dominus præstiturum esse, pollicitus est, unum non præteriturum sit incassum, Jol. 23. v. 14.

Quando igitur audimus, Deum proprio suo Filio non peperisse, sed pro nobis omnibus tradidisse eum, Rom. 8. v. 27. meritò in fide id admiremur, cum Johanne dicentes: In hoc apparuit charitas Dei in nobis &c. 1. Joh. 4. v. 9. Firmo quoque solatio nos fulciamus in omnibus tribulationibus, quod si enim Deus Filium suum donavit, panem quoque quotidianum non denegabit nobis, nec in cruce derelinquet, sed ita nos adjuvabit, ut omnes annuncient opus ejus, Psal. 64. v. 10.

Quando audimus, quod tantos peccatores in gratiam receperit, Petrum se abnegantem, Paulum se persequentem, Thomam per incredulitatem nefariè peccantem: Admiremur magnam ejus gratiam & misericordiam, indubiè credentes, quod & nos respicientes in gratiam recepturus sit, 1. Tim. 1. v. 16.

Quando audimus, quod contemtores gratiæ suæ tandem puniverit, dum primum mundum diluvio inundavit, Gen. 7. v. 23. Sodomam & Gomorrhham igne & sulphure cælitus delevit, Gen. 19. v. 24. Pharaonem cum omni exercitu in mari rubro suffocavit, Exod. 14. v. 28. admiratione justitiæ ejus moveamur, pœnitentiam eò severius maturantes, ut quiescimus agere perversè, discamus benefacere, Esa. 1. v. 16. cogitantes, quod Deus non iridetur, Gal. 6. v. 7. Sir. 5. v. 7.

Quando audimus, Deum mortuos aliquot resuscitasse, nempe filium viduæ Sareptanæ per Eliam, 1. Reg. 17. v. 23. filium Sunamitidis per Elisam, 2. Reg. 4. v. 36. adolescentem Nainiticum, filiam Jairi & defunctum Lazarum per filium solum dilectum, Luc. 7. v. 15. Matth. 9. v. 25. Joh. 11. v. 44. Tabeam per Petrum, Act. 9. v. 41. Eutychem per Paulum, Act. 20. v. 10. in admirationem divinæ ejus omnipotentia rapiamur, dicentes cum Jobo: Scio quod Redemptor meus vivit? Job. 19. v. 25. seqq.

Quando Deum, Enochum & Eliam vivos & animâ & corpore in cælum adsumpsisse audimus, Gen. 5. v. 25. 2. Reg. 2. v. 11. quod Christus clarificatus fuerit in monte Thabor, Petro propterea lætitiâ exultante, Matth. 17. v. 23. admiremur futuram gloriam, quam Deus præparavit diligentibus se, 1. Cor. 2. v. 9. ideoque libentius compatiatur, ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

Ex adverso caveamus, ne mirari nostrum rimari sit, ut mysteria divina captum superantia curiose scrutari satagamus. Scrutator enim Majestatis opprimetur à gloriâ, Prov. 25. v. 27.

II. *Hannam imitare.* Quæ egregio elogio decoratur, & est

1. *Speculum virginale.* Illibatam enim virginitatem suam servaverat, dum à Deo & parentibus suis ad matrimonium vocata fuit. Intueantur hoc speculum omnes

omnes quæ virginitatem suam libidinose prostituunt, Ezech. 23. v. 21.

2. *Speculum conjugiale.* Septem enim annis vixerat cum viro suo, quâ in parte rectè fecit. Qui enim fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos, Matth. 19. v. 4. quod his abundantius est, à malo est, Matth. 5. v. 37.

Videant Christianæ mulieres, ut non modò malo, sed & specie mali abstineant, 1. Thess. 5. v. 22. ne famæ suæ labeculam adspargant, quæ nunquam deleatur, Sir. 23. v. 36.

3. *Speculum viduale.* Erat enim vidua usque ad annos octoginta quatuor, & ita viduatum suum duxerat, ut nemo esset, qui loqueretur de eâ verbum malum, ut de Judith dicitur, Judith. 8. v. 7.

Sic Christianæ viduæ, si ad secunda vota transire nolint, quod ipsis tamen concessum est, 1. Cor. 7. v. 9. 39. modestiæ & pudicitæ studeant, antè omnia verò in Deo sperent, quæ enim in deliriis est, vivens mortua est, 1. Tim. 5. v. 6.

In æde quoque Domini sedulò compareant, jejuniis & obsecrationibus Deo fervientes nocte ac die. Quia enim in mundo plerumque derelictæ sunt, eò magis ad Deum convertere debeant, non dubitantes, quin Deus miseriam suam intuiturus sit, Psal. 10. v. 14.

In genere verò hîc omnes Christiani exemplum habent, ut & ipsi Hannam in pietate sequantur, dicentes cum Davide: Unum peti à Domino &c. Psal. 27. v. 4.

Hoc qui fecerit, benedictionem consequetur, juxta illud, Matth. 6. v. 33.

III. *Redemptionem præstolare.* Hîc de Hannâ dicitur, quod locuta fuerit omnibus,

qui expectabant redemptionem Jerusalem. Horum tùm paucissimi erant. Synedrion constabat ex LXXII. Senioribus: verùm unus hic saltem adest, qui Jesuli recens nati curam agit. Cui adjungunt se Joseph, Maria, Hanna, & fortassis aliquot alii, quorum Evangelista mentionem non facit. Hi sunt dispersæ oviculæ in domo Domini, qui velut rosa inter spinas angustiantur, & singulis momentis cum propter tyrannidem Herodis, tùm Phariseorum fermentum in extremo animæ & corporis periculo versantur.

Ejusmodi Sanctos & Martyres expetit Deus, qui sancti & pii manent in ipsâ impiorum corona, sicut Noah inter Cainitas & Lamechitas, Gen. 6. v. 8. Loth inter Sodomitas, Gen. 18. v. 20. Josephus in Ægypto, Gen. 40. v. 3. seqq. Daniel Babylone, Dan. 1. v. 6. seqq. Hinc scitè Augustinus: *Genus Martyrii est, inter fontes conservare decus innocentia.* Et Bernhardus: Liliū esse inter lilia magnum non est, sed liliū esse inter spinas, hoc verè magnum. Fascinatio enim intellectus obscurat bona, Sap. 4. v. 12.

Cæterum omnes Expectantes sumus, præstolantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, Tit. 2. v. 13. qui nos liberabit ab omni opere malo, & salvos faciet in Regnum suum cæleste, 2. Timoth. 4. v. 18.

Hîc quasi custodimur in carcere tribulationis, ubi multa sustinere nos oportet, Psal. 34. v. 20. Psal. 80. v. 6. Verùm confidite Dilecti! Non in æternum id perseverabit: Redemptio in limine est, ubi Dominus calicem crucis auferet, & dili-


diligentibus se calicem refrigerii propinabit, ut non amplius aquam lacrymarum, sed vinum defecatum bibant, *Esa. 25. v. 6.* & præ exultatione cordis jubilent in æternum, *Esa. 65. v. 14.*

Interea expecta Dominum, *Psal. 27. v. ult.*

Maria, Imperatoris Ferdinandi I. filia, Wilhelmi Ducis Cliviæ conjux pro insigni gessit arborem fructu & foliis denudatam, qualiter arbores, hyeme esse solent, quando folia deciderunt, cum hæc inscriptione: Gaudium meum spes est.

Quamdiu in mundo hoc vivimus, multæ nos tribulationes affligunt, nudi & inopes incedimus, pietas quasi demortua, & charitas in cordibus hominum refriguit, *Matth. 24. v. 12.* sed jucundissimam æstatem præstolamur, dicentes: Gaudium meum spes est.

Quilibet det operam, ut bonam militet militiam, fidem & bonam conscientiam habeat, *1. Tim. 1. v. 19.* sic de redemptione prorsus securus, cum Paulo dicere potest: Bonum certamen certavi, *2. Tim. 4. v. 7. 8.* Adjuverid nos JESUS CHRISTUS, Amen.



## DOMINICA POST CIRCUMCISI- ONEM DOMINI.

*Evangelium Matth. 2. v. 13. usque ad fin.*

### EXORDIUM.

**D**EDIT DEUS Israëlitis inter alia hanc quoque legem: Non coques hædum in lacte matris suæ, *Exod. 23. v. 19.*

Id mysticè intelligendum,

Christus Servator noster verus hædus expiatorius est, in quo cœlestis Pater peccata totius mundi reposuit, eaque in montem Calvariæ perferri iussit, ubi ipse ea pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, *1. Petr. 2. v. 24.*

Jacobus benedictionem à patre suo Isaac consequuturus, pelliculas hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit, *Genes. 27. vers. 26.* Eodem modo cœlestis quoque Jacobus, Servator noster pientissimus JESUS CHRISTUS semen Abrahæ assumsit, & quia pueri participarunt carni & sanguini: & ipse similiter participavit eisdem, *Hebr. 2. vers. 14. 15.* Hoc modo in gentes benedictio Abrahæ facta est in CHRISTO JESU: & nos pollicitationem